



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones à Clemente X. & Innocentio XI. editas

**Luxemburgi, 1739**

IV. Redimiculum coloris violacei conceditur Clericis Camerae Apostolicæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74708)

Edita die 13.  
Junii 1670.

sum, hac vice dumtaxat, consequendum specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Junii 1670. Pontificatus nostri Anno Primo.

I. G. Slufius.

Registrata in Secr. Brevium in lib. Mensis Junii part. 2. fol. 227.

IV.  
Edita A. D.  
1670.

Indultum concessum Clericis Cameræ Apostolicæ tam præsentibus, quam futuris gestandi Galeri redimiculum, Cordone, vulgariter nuncupatum coloris violacei in quibuscumque functionibus, & actibus publicis, & privatis.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Nunc primò  
impressa.

Exordium.

**R**omanus Pontifex supremus gratiarum dispensator in terris a Domino constitutus, illis quorum fidem, industriam, prudentiam, & dexteritatem in gravibus, & arduis Apostolicæ Sedis muneribus gerendis, multis rerum experimentis spectatas habet, ea libenter concedit, per quæ eis aliqua fiat decoris accessio, ut eo alacrius in munerum suorum functione perseverent.

§. 1. Itaque ad eximia dilectorum filiorum Clericorum Præsidentium Cameræ Apostolicæ in nos, & dictam Sedem fidei, & devotionis, aliaque multiplicia merita paternæ dirigentes considerationis intuitum, eorumque virtutem aliqua honoris prærogativa condecorare volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, Motu proprio, ex certa scientia, & mera liberalitate nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, eisdem Cameræ Apostolicæ Clericis Præsidentibus præsentibus, & futuris, ut ipsi omnes, & singuli galeri redimiculum, Cordone vulgariter nuncupatum, coloris violacei, in quibusvis functionibus, & actibus publicis, & privatis ubique deferre, & gestare libere, & licite possint, & valeant, tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Indulget Clericis R. Cameræ deferre Galeri redimiculum coloris violacei.

Decretum irritans.

§. 2. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici, & S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & autoritate, judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis autoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 21. Junii 1670. Pontificatus Nostri Anno Primo.

I. G. Slufius.

Registrata in Secr. in lib. Brevium mensis Junii par 1. fol. 10.

Edit. die 21.  
Junii 1670.

Declaratio, quod Vota in Congregatione Missionis post illius Apostolicam confirmationem emissa, & emitenda, ab aliis, quam a Summo Pontifice, & Superiore Generali eisdem Congregationis in actu dimissionis ab eadem Congregatione licite, & valide dispensari, commutari, aut dissolvi non possint.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

**A**lias fel. rec. Alexander Papa VII. Prædecessor noster nonnulla dubia super statu Congregationis Missionis in Gallia incaptæ, ac olim a Sede Apostolica approbatæ, enata tollere volens, præfaram Congregationem Missionis, sicut præfertur, incaptam, & approbatam Apostolica autoritate confirmavit, & approbavit, cum emissione Votorum simplicium Castitatis, Pauperatis, & Obedientiæ, necnon stabilitatis in dicta Congregatione, ad effectum se toto vita tempore saluti Pauperum rusticorum applicandi, post biennium probationis faciendæ; In quorum tamen votorum emissione nemo interest, qui ea acceptaret, sive nomine Congregationis, sive pro tempore existentis Romani Pontificis nomine; Et vota sicut supra emissa dissolvere posset solus Romanus Pontifex, necnon, & Superior Generalis dictæ Congregationis in actu dimissionis e Congregatione; nemo autem alius etiam vigore cujuscumque Jubilæi, Bullæ Cruciatæ, seu alterius Privilegii, & Indulti, aut cujuscumque Constitutionis, sive concessionis, nisi in eis facta fuisset specialis mentio horum votorum sicut supra in dicta Congregatione emissorum, dissolvere, aut commutare, vel dispensare posset, & valeret, & alias prout in ipsius Alexandri prædecessoris literis desuper in simili forma brevis die 22. Septembris 1660. expeditis, quorum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

V.  
Die 23. Junii  
1670. An. 1.

Nunc primò  
edita.

Alexand.  
VII. Congregationem  
Missionis  
confirmavit  
prout in Rubrica.

Motivum hujus declarationis.

§. 1. Cum autem sicut dilectus filius Superior Generalis dictæ Congregationis Missionis nobis nuper exponi fecit, quod aliqui post hujusmodi vota in eadem Congregatione emissa ipsam Congregationem deseruerint, asserentes se dictorum votorum dispensationem, seu commutationem obtinuisse a quibusdam Confessariis vigore literarum Apostolicarum super Jubilæo emanatarum, ac prædictos Confessarios potuisse dispensare, seu commutare hujusmodi vota, quia in dictis literis conceditur facultas commutandi vota quæcumque, castitatis, & religionis exceptis, ac deinde in fine derogatur contrariis quibuscumque, & in specie statutis, & consuetudinibus quorumcumque Ordinum, & Congregationum, seu Institutuum Regularium, etiam confirmatione Apostolica roboratis, necnon Privilegiis, Indultis, & literis Apostolicis eisdem Ordinibus, & Congregationibus concessis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua mentio habenda foret.

Preces Superioris Generalis.

§. 2. Nobis propterea dictus Superior Generalis cupiens occurrere dictæ Congregationis præjudicio, & insimul consulere conscientis eorum, qui tales dispensationes, seu commutationes obtinissent, vel obtinere attentarent, humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignemur: Nos igitur ipse Superioris Generalis desiderio hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum

serie